

Q. An sponsalia ex metu inita sint valida?

R. Si sit metus injustus directè ad extorquendum consensum incussus cadens in constantem virum vel fœminam ex communi sententiâ ex eadem ratione, quâ invalidum est Matrimonium, etiam sunt sponsalia ipso jure invalida, licet enim textus Juris tantum loquantur de Matrimonio coacto, necessariò tamen extendi debent ad sponsalia, quæ sunt via ad Matrimonium, ne ex talibus coactis sponsalibus sit obligatio ad contrahendum Matrimonium ex metu.

DISPUTATIO XLV.

De Matrimonio secundum se.

Matrimonium ità potius à matre quam à patre dicitur; quia plura onera matri in gestatione, editione, & educatione proli, quæ finis est Matrimonii, incumbunt, sicut econtrà, quia patris est provide-re prolibus de temporalibus bonis, substantia à parentibus relictæ prolibus vocatur à patre patrimoniū. Potest autem Matrimonium sub duplice ratione considerari, imprimis prout est contractus & in officium naturæ, & sic eidem præmitti solent sponsalia, deinde prout est Sacramentum à Christo institutum: quia contractus matrimonialis baptizatorum à Christo Domino est elevatus ad rationem Sacramenti: de Matrimonio sub priore consideratione sit

QUÆSTIO I.

In quo consistat Matrimonium essentialiter?

Matrimonium accipi potest dupliciter. 1^{mo} Pro ipso permanente statu Matrimonii, & sic dicitur Matrimonium in facto esse, 2^{do}, Pro actua-

li ingressu in talem statum seu pro inchoatione Matrimonii, & sic dicitur Matrimonium in fieri.

DICO *In Matrimonio est aliqua conjunctio, secundum quam dicitur maritus & uxor & talis conjunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquid unum, est Matrimonium.* S. Th. in suppl. Q. 44. A. 1. O.

Explico : Matrimonium in fieri formaliter consistit in mutuo consensu conjugum sive in traditione & acceptatione corporum ad finem Matrimonii signis externis manifestata, Matrimonium vero in facto esse consistit formaliter in vinculo conjugali, hoc est mutua relatione conjugum connotante mutuam corporum traditionem, in qua fundatur.

Prima pars probatur : Matrimonium in fieri est formaliter ipse contractus matrimonialis, atqui in nullo alio reperitur ratio contractus matrimonialis, quam in mutuo illo consensu sive traditione & acceptatione corporum ad finem Matrimonii videlicet prolem suscipiendam; ergo Matrimonium in fieri formaliter consistit in consensu, quo fit mutua traditio & acceptatio corporum, ex quo deinde sequitur vinculum illud indissolubile inter virum & fœminam in ordine ad finem Matrimonii.

Secunda pars probatur : Matrimonium in facto esse est effectus, qui remanet transente consensu matrimoniali; atqui vinculum conjugale est effectus remanens, cuius causa est consensus matrimonialis; quia Matrimonium in facto esse est conjunctio permanens inter marem & fœminam in ordine ad generandam & educandam prolem, ut nullus negare potest: atqui illa conjunctio permanens est vinculum Matrimonii dicens aliquam relationem mutuam, per quam vir habet habitudinem mariti ad mulierem, & mulier habitudinem uxoris ad maritum; ac proinde illud vinculum nihil aliud est

est à parte rei, quam mutua coordinatio maris & feminæ ad officia maritalia, quo vinculo matrimoniali durante durat & permanet Matrimonium, illoque sublato cessat Matrimonium. *Ex quo sequitur* Matrimonium à magistro sententiarum rectè describi: viri & mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas individuam vitæ consuetudinem retinens, in qua descriptione. *Dicitur 1.* Viri & mulieris: quia inter solas diversi sexūs personas potest consistere Matrimonium. *Dicitur 2.* Conjunctio, quæ particula si sumatur activè, explicatur Matrimonium in fieri: hoc est: mutuus consensus conjugum, si sumatur passivè, explicat Matrimonium in facto esse hoc est: mutuam coordinationem in illo consensu fundatam & ex eo resultante. *Dicitur 3.* Maritalis, videlicet ad ea quæ mariti & uxoris officium requirit, denominatur vero à marito tanquam præcipuo, etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. *i. Cor. 11.* v. 9. *Dicitur 4.* Inter personas legitimas ab omni videlicet & naturalis & positivijuris impedimento liberis. *Dicitur 5.* Individuam vitæ consuetudinem retinens: quia instituta est hæc conjunctio ad talen finem videlicet suscipiendam & educandam prolem, qui finis exigit insolubilem conjunctionem, quæ mutuo consensu solvi non possit, sicut conjunctiones vel obligationes ex aliis contractibus ortæ mutuo consensu dissolvi possunt, cui non obstat, quod à causis extrinsecis hæc conjunctio solvi possit, quia manet semper verum, quod ab intrinseco & exillis causis per quas nascitur, non sit solabilis.

Si dicas inter B. V. & S. Josephum fuit verum Matrimonium, nec tamen inter eos fuit conjunctio maritalis.

Bx. Quod fuerit inter B. V. & S. Josephum ve-
III. Partis Theol. Schol. suppl. Gg 12

ra maritalis conjunctio , quantum ad ipsum Jus : quia fuerunt tali conjunctione copulati , quæ ad finem Matrimonii de se ordinatur , non verò fuit conjunctio maritalis in actu secundo proximè sufficiens ad finem Matrimonii obtinendum , de quo infra.

Q U A E S T I O II.

An detur præceptum contrahendi Matrimonium?

Suppono Matrimonium absolutè bonum & per se loquendo permisum esse : quia Deus ipse imprimis est author Matrimonii , cuin Deus sit author eorum , ad quæ natura sana & integra hominem inclinat , natura enim sana peccato originali nondum corrupta est purus effectus Dei , atqui natura integra in statu innocentiae inclinabat hominem ad generationem , nutritionem & educationem prolis pro conservatione generis humani , quæ propagatio generis humani sine parentibus vinculo indissolubili Matrimonii colligatis , ac proinde absque Matrimonio , ex quo vinculum illud oritur , ordinatè fieri non potest , & ideo Deus statim post creationem primorum parentum eos arctissimo vinculo Matrimonii conjunxit , quam conjunctionem Adam de Eva loquens ita expressit Gen. 2. *hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem &c.* Deinde Matrimonium post lapsum Adami confirmavit , ut patet ex Deuteron. cap. 25. ubi Deus fratri superstiti injunxit , ut in Matrimonium ducat uxorem à fratre sine libertis relictam. Demum in lege nova illud à Deo fuisse approbatum , constat tum ex doctrina Christi Matth. 19. ubi à Judæis de repudio interrogatus , Deum ipse authorem conjunctionis matrimonialis respondit , ex quo resolvit questionem : *quod ergo Deus*

conjunxit homo non separet, tum ex facto Christi
Joan. 2. Christus cum matre & discipulis cohonestavit nuptias in Cana Galilææ celebratas. Verum hic queritur an aliquod detur de Matrimonio præceptum, quod obliget vel totam hominum communitatem vel etiam singulos de ipsa communitate determinatè.

DICO 1. Præceptum datum de generatione respicit totam multitudinem hominum S. Th. 2, 21 Q. 152.
A. 2. ad 1.

Probatur : Præcepit Deus tum in Paradiso homini adhuc in statu innocentiae existenti Genes. 1. crescere & multiplicamini & replete terram tum extrâ Paradisum homini lapso post diluvium Gen 9. ubi eadem verba repetuntur , atqui hoc præceptum obligat totam hominum multitudinem , sicut enim quodlibet individuum obligatur ad ea , quæ pertinent ad conservationem individui , ità universitas obligatur ad ea , quæ pertinent ad conservationem speciei , atqui ad conservationem humanæ speciei requiritur Matrimonium : quia requiritur commissio carnalis , quæ extâ Matrimonium illicita est ; ergo requiritur , ut Matrimonium aliqui de hominum multitudine indeterminatè contrahant.

Obj. Non potest esse obligata communitas hominum , nisi obligati sint singuli ad Matrimonium : atqui singuli homines non sunt obligati ad Matrimonium ; ergo neque tota hominum communitas est obligata.

R. Distinguendo Maj. nisi obligati sint singuli determinatè N. indeterminatè Con. similiter distinguitur Mi. non enim obligatio communitatis afficit singulos , nisi in extraordinario casu , quo alii homines ad propagandum genus humanum deficerent ut in primordio mundi , & statim post diluvium :

èò quod conservatio generis humani extrà hos casus sufficenter obtineri possit , quantumvis plures maneat cælibes.

DICO 2. *Præceptum ilium non est revocatum , nec tamen obligat unumquemque S. Th. in suppl. Q. 41. A. 2. ad I.*

Probatur : non obligatur unusquisque præcepto Matrimonii nisi finis præcepti aliter quam per ipsum obtineri non possit , ut ita teneatur contrahere Matrimonium ; atqui licet unusquisque non contrahat Matrimonium , finis tamen præcepti sufficenter obtinetur , cum alii sint , qui in Matrimonio generationi prolium vacent , licet quidam ut melius Deo serviant & divinis ministeriis vacent , à Matrimonio abstineant , juxta quod non tantum in nova lege Apost. I. ad Cor. 7. non nuptis & viduis suasit continentiam , laudavitque supra conjugium virginalem castimoniam , sed etiam in antiqua lege complures abstinuerunt Matrimonio , castamque in cælibatu vitam duxerunt , ut Josue , Elias , Elyeus &c. per accidens verò potest quis ad Matrimonium obligari v. g. pacis integri regni vel provinciæ aut religionis catholicae conservandæ causâ , quo casu manus bonum est matrimonium , quam virginitas , propter ingentia bona , quæ ex tali Matrimonio sequuntur , est etiam necessarium : quia sine Matrimonio gravia mala oriuntur , quæ aliter impediti non possunt.

Obj. Si nemo determinatè obligetur ad Matrimonium , ergo poterunt omnes abstinere à Matrimonio , ac ita genus humanum ante præfinitum tempus interiret.

R. Imprimis secluso præcepto non abstinebunt omnes Matrimonio , ut respondit olim S. Hieronymus Joviniano : quia difficilis est res virginitas &

ideò

ideo rara, quia difficultis. Deinde dato hoc, quod nullus amplius Matrimoniu contraheret, signum esset, quod completus foret numerus electorum, ad quem complendum ordinatur Matrimonium, ac ita non foret inconveniens humanum genus interire, quod ad determinatum à Deo tempus tantum est propagandum.

QUÆSTIO III.

An polygamia sit contra jus naturæ & finem matrimonii?
Suppono præcepta Juris naturæ dividuntur in prima & secunda. Prima dicuntur ea, quæ tales continent rectitudinem, quæ nullo unquam casu occurrente mutari potest, quia finis, ad quem ordinata sunt, sine illis absolute obtineri non potest, quælia sunt præcepta decalogi. Secunda vocantur, quæ tanquam conclusiones ex primis deducuntur, possuntque occurribus aliquibus circumstantiis mutari: quia finis, ad quem ordinantur, sine illis absolute obtineri potest, sed minus convenienter; similiter illa, quæ repugnant Juri naturæ, alia sunt contraria præcepta prima, videlicet quæ impediunt totaliter finem primarium, ad quem actio aliqua ex natura sua ordinatur; alia sunt contraria præcepta secunda, quæ impediunt finem secundarium alicujus actionis, aut reddunt difficilem obtentionem finis primarii, exemplum ponit S. Th. in suppl. Q. 68. A. 1. in comedione: nimia superfluitas aut defectus comedionis impedit salutem corporis quasi principalem finem comedionis, & bonam habitudinem in negotiis exercendis, qui est finis secundarius comedionis, inordinata vero comedio quantum ad tempus indebitum facit difficultem perventionem ad finem dictum. His suppositis queritur: qualiter de jure naturæ sit Matrimonii unitas, quæ consistit in hoc, quod nec una uxor possit simul habere plures maritos, nec unus maritus plures uxores.

Gg 3

DICO

DICO 1. Pluralitas uxorum quodammodo est contrà legem naturæ & quodammodo non s. Th. in suppl. Q. 6§. A. 1. O.

Explico: pluralitas uxorum non tantum est contrà Jus divinum sed etiam contrà Jus naturale, licet non ità, sicut pluralitas viatorum.

Prima pars de jure divino contrà Hæreticos nostri temporis definita est à Trident. Sess. 24. de reformat. Matt. Can. 2. si quis dixerit licere christianis plures habere uxores & hoc nulla lege divina esse prohibitum Anathema sit.

Probatur ex S. scrip. Matth. 19. & Marci 10. Christus rescidit concessionem veteri populo in causa polygamiæ factam, & Matrimonium ad primā institutionem reducit dicendo: *masculum & fœminam fecit illos;* indèque concludit Matrimonium ex uno & una tantum uxore constare debere, *itaque jam non sunt duo sed una caro,* deindè Lucæ 16. Christus tanquam novus legislator & reformatator Matrimonii ità statuit: *omnis qui dimittit uxorem suam & aliam dicit, mœchatur;* ideo autem mœchatur, quia adhuc subsistit Matrimonium cum priore conjugi initum, si ergo vir dimittens priorem uxorem mœchatur, si alteram ducat, à potiori ejusdem flagitiis reus erit, si priore uxore retentâ cum aliâ Matrimonium contrahat; deindè quoties Apostolus agit de Matrimonio, semper loquitur de uxore in singulari, *alligatus es uxori noli querere solutionem. Unusquisque suam uxorem habeat.* Præterea Apostolus differens de obligationibus Matrimonii conjuges pares facit in jure ad debitum conjugale, illi autem paritati sicut repugnat unam uxorem habere plures viros, ità similiter repugnat unum virum plures uxores ducere.

Secunda pars de jure naturali, ità ut infideles plures habentes uxores ad fidem conversi cum prima lo-

lum possint manere. *Probatur:* sicut jure naturali corpus uxor is est in potestate viri , ita ex eodem iure corpus viri est in potestate uxor is secundum Apost. 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir , similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier ; ergo* sicut uxor totam se per matrimonium viro tradit , ita vir se totum tradit mulieri ; sicut ergo sine iustitiâ mulier alicui viro nupta se per matrimonium alteri viro tradere non potest , ita nec vir absque iustitia vivente primâ uxore secundam ducere non potest ; deinde uxor per matrimonium non tantum in thori consortem assumitur , sed etiam in societatem gubernandæ familiæ , nutriendæ & educandæ pto lis ; his autem adversatur polygamia : cum matrimonium cum pluribus uxoribus ex natura sua discordias pareret & foveret inter uxores , non tantum propter communionem regiminis domestici , sed etiam plurimis ex causis : ut sunt amor & usus Conjugis , cura & educatio prolium , in quibus omnibus unaquæque uxor , tum se tum filios suos vellet præferri : ut constat ex pluribus exemplis in veteri lege , in quâ Deo dispensante polygamia fuit permissa , cum hæc pluralitas uxorum non ita repugnat fini primario matrimonii , quia tamen repugnat fini secundario nempe fidei conjugali quia matrimonium ex intentione secundariâ ordinatur ad mutuan vitæ societatem , divina dispensatio ad uxorum pluralitatem fuit necessaria , undè Innocentius III. in Cap. gaudemus 8. de divorcio , absolute declarat : *nec ulli unquam licuit simul plures uxores habere , nisi cui id fuit divinâ revelatione concessum.*

Obj. Abraham , Jacob &c. non peccarunt nubendo cum pluribus uxoribus , nusquam enim Scriptura arguit hos Patriarchas ob multiplicata simul coniugia , neque tantum in populo electo talis fuit consuetudo tolerata ducendi plures uxores , sed etiam apud

gentiles illo tempore mos fuit ducendi plures uxores, siquidem Laban, cuius filias Jacob duxit in uxores, gentilis erat; atqui si Polygamia esset prohibita jure naturali, nubendo pluribus uxoribus peccassent: quia jus naturale nullam omnino patitur dispensationem, ut patet in mendacio & perjurio, quae à Deo permitti non possunt: eo quod lege naturali & rectæ rationi adversentur.

R^e. Negando mi. ad exemplum adductum disparitas est: ideo Deus in mendacio & perjurio dispensare non potest: quia semper sunt contra jus naturæ & ob intrinsecam cum fine à Deo authore naturæ intento repugnantiam nullâ unquam circumstantiâ co-honestari possunt; econtra Polygamia, licet secundum se spectata juri naturali repugnet, quia adversatur fini secundario matrimonii domesticæ scilicet paci & juri, quod mulier per Nuptias acquirit in corpus conjugis, desinit tamen esse contrâ jus naturale in hâc circumstantiâ: quando nempe ex divinâ ordinatione & concessione conductit ad primarium finem matrimonii nempe ad fidelis populi multiplicationem quia in hoc casu postulat jus naturale ut propter bonum publicum jus uxorius in corpus mariti minuatur, sic in mundi exordio licuit filiis Adami ducere sorores propter necessitatem, quamvis extrâ illum casum lege naturali ejusmodi matrimonia prohiberentur; quia ergo polygamia adversatur secundariis legis naturæ præceptis, quae mutatis terum & personatum circumstantiis immutari possint, potuit in illis dispensari, quibus conformiter Innocentius III postquam absolutè declaravit: nulli unquam licuit insimul plures habere uxores, subjungit hanc exceptionem: nisi cui fuit divina revelatione concessum, per quam Patriarchæ & alii vii justi, qui plures simul leguntur habuisse uxores, ab adulterio excusantur.

Inst.

Inst. Si pluralitas uxorum in illis circumstantiis non repugnabat juri naturæ, ergo Patriarchæ non indigebant dispensatione, sed omnibus promiscuè licebat in illis circumstantis, ut populus electus Dei per generationem multiplicaretur, pluralitas uxorum.

R. Quod in Polygamia duo sint, primum est, quod prohibetur lege divinâ. Secundum est, quod plures deordinationes fini matrimonii secundario adversas secum ferat, ob quas etiam non obstante lege positivâ Dei prohibente illicita esset, quatenus ergo polygamia plures deordinationes importat, non potest esse licita, nisi per alia bona illæ deordinationes compensentur, quatenus verò à lege divina prohibetur, licita esse nequit nisi accedente divinâ dispensatione.

DICO 2. *Unam uxorem habere plures viros est contrà precepta prima legis naturæ, eò quod per hoc, quantum ad aliquid totaliter tollitur, & quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principialis matrimonii finis.* *S. Th. in suppl. Q. 65.*

A. I. ad I.

Probatur: quidquid adversatur primario fini matrimonii, qui est generatio & educatio prolis, repugnat naturæ matrimonii & consequenter juri naturali primario: cum matrimonium in quantum est officium naturæ, sit juris naturalis, atqui polygamia, quâ una mulier matrimonialiter copulatur pluribus viris, repugnat generationi prolis: quia mulier quæ corpus suum facit commune pluribus viris, redditur infœcunda. Repugnat etiam educationi prolis: quia matrimonium cum pluribus viris incertum facheret Patrem prolis, & consequenter facheret cessare in utroque viro paternum affectum erga prolem ex una muliere procreatam, qui affectus est requisitus ad sollicitam educationem prolis, undè licet in lege antiquâ dispensatum fuerit cum viro,

ut haberet plures uxores, nunquam tamen legitur dispensatum cum fœmina, ut plures haberet viros : quia per hoc quod unus vir plures fœminas habeat, non impeditur finis primarius matrimonii, cum in matrimonio unius viri cum pluribus uxoribus possit constare de certo Patre & matre prolis, & unus vir possit plures fœminas fœcundare, hic autem finis impeditur, si una uxor plures haberet viros.

QUÆSTIO IV.

De obligatione matrimonii.

DICO. Cum mulier habeat potestatem in corpore viri, quantum ad actum generationis spectat & econverso : tenetur unus alteri debitum reddere quocunque tempore & quacunque horâ salvâ debitâ honestate. S. Th. in suppl. Q. 64. A. 6. O.

Probatur : tum ex Apost. 1. Cor. 7. ubi exponitur hæc obligatio ex matrimonio orta : *uxori vir debitum reddat : similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus & c. tum ex ipsa ratione matrimonii, quod est conjunctio maritalis, consequenter obligantur matrimonio juncti ad debitum justè & honestè petitum , quod addo : quia ut debitum licet petatur & reddatur , sitque ad illud reddendum obligatio debet cum his conditionibus peti & reddi : debito jure, debito fine, debito modo & circumstantiis.*

1. Debito jure exercetur actus conjugalis, quando nullum est impedimentum juris inter conjuges impediens , quominus actum conjugalem licet exercere possint, impeditur autem hoc jus imprimis per votum continentiaz, si unus Conjugum votum continentiaz fecit ante matrimonium contractum , tenetur

vovens servare illud , quantum potest sine p raejudicio alterius conjugis : nimis durante matrimonio debitum conjugale petere non potest , et si petenti teneatur reddere ; unde si contingat alterum Conjugum ob incestum vel adulterium privari jure petendi debitum , debet innocens suum votum , nisi in illo fuisset dispensatum , integrè servare etiam non reddendo debitum : quia tunc sine injuria Conjugis potest non reddere ; soluto autem matrimonio rursus continentia à vovente est integrè servanda , neque ad alias nuptias transire licebit absque expressâ summi Pontificis concessione , si votum sit factum post nuptias ante consummationem matrimonii , tenetur vovens ingredi Religionem : qui enim promisit finem , implicitè etiam promittit medium unicum necessarium ad illum finem servandum , si sciat unicum tantum superesse medium ; atqui unicum medium exequendi votum continentiae ante consummationem matrimonii est ingressus Religionis ; ergo tunc vovendo absolutam continentiam ad ingressum Religionis obligasse se censetur ; si autem votum sit editum à Conjugi post consummatum matrimonium , alterâ parte nesciente vel contradicente , censetur se obligasse , quantum potuit , nempe sine p raejudicio alterius , ideoque tenetur à petendo abstinere , & si ab obligatione reddendi debitum liberetur per adulterium , incestum vel mortem alterius Conjugis , in perpetua continentia manere obligabitur ; si votum sit emissum post consummatum matrimonium cum consensu alterius permissivo , altero Conjugi solum permittente emissionem voti castitatis salvo suo jure , tunc vovens tenetur reddere debitum Conjugi suo juri non renuntianti ; si verò sit emissum cum pleno consensu approbativo , maximè si uterque mutuo consensu convenerit ac castitatem voverit , tunc neque petere neque reddere debitum unquam absque sacri-

sacrilegio conjuges poterunt. Quod si una ex coniugibus ante contractum matrimonium voverit ingressum religionis vel suscipere sacros ordines, non tantum peccat contrahendo matrimonium, sed etiam postea contractum illud primò consummando sive petat sive reddit debitum intra primum bimestre: quia quamdiu intra bimestre manet matrimonium ratum tantum, habet jus ingrediendi religionem, neque ab alterâ parte compelli potest ad consummandum matrimonium, per consummationem autem voluntariam matrimonii reddit impossibilem executionem voti emissi, & consequenter graviter peccat, postquam tamen consummatum matrimonium, redditâ impossibili executione voti potest licet petere & reddere debitum, donec conjugi alterâ vel moriente vel adulterante vel in ingressum religionis contentiente votum suum debite exequi possit.

Deinde impeditur hoc Jus, si affinitas cum conjugi post matrimonium contractum superveniat ex incestu cum consanguineâ ejusdem conjugis in primo & secundo gradu: quia jure ita statuente talis affinitas privat jure petendi debitum, ita ut incestuosus nec licet nec obligatoriè debitum exigere à conjugi innocentem possit, attamen parti innocentis illud teneatur reddere, ubi notanda differentia inter adulterium & incestum à conjugi commissum: adulterium enim privat quidem jure petendi debitum, ita tamen ut conjux innocens sciens adulterium commissum possit adultero debitum justè denegare, adulteri tamen non prohibetur debitum petere, quamvis non possit exigere obligatoriè; incestuosus autem nec licet nec obligatoriè debitum petere potest in pœnâ incestûs sacrâ Canonibus ita ordinantibus.

Denique impeditur illud jus petendi debitum, si superveniat cognatio spiritualis inter conjuges post contractum

tractum matrimonium, nempe si conjux extra necessitatem scienter Baptizet aut teneat tanquam paterinus in Baptismo solemni vel confirmatione communem Filium aut prolem alterius conjugis, contrahit cum suâ conjugae cognationem spiritualem, ratione cuius est privatus jure petendi debitum. *Dixi 1.* Extrâ necessitatem: quia si in necessitate, v. g. aliis habilibus ad Baptizandum absentibus, parens prolem propriam Baptizaverit, neuter conjugum privatur jure petendi debitum. *Dixi 2.* Scienter, quia si id factum ignoranter, ignorantia excusat, aut si factum sit quidem scienter ab unâ parte, alterâ ignorantie, ille qui scienter fecit, amittit jus petendi debitum, obligatur tamen illud, si petatur, reddere, ut ipse puniatur, in quo peccavit, & alter, qui non fuit in culpâ, non sentiat incommode ex delicto alterius, ita communiter sentiunt Theologi & Canonistæ allegantes cap. si vir 2. de cognat. spirit. lib 4. tit. 11. quia vero textus illius cap. loquitur de suscipientibus, & quidem quod suscipiens ignoranter ob ignorantiam sit excusandus, ex malitia, ut scilicet alteram partem fraudet debito, non debeat ex suâ malitia habere commode: hinc multi adhuc sustinent, conjugem Baptizantem etiam extra necessitatem scienter prolem communem non privari jure petendi debitum: cum id nullo jure claro ostendi possit, absque claro autem textu non sit afferenda tam gravis poena.

2. Debito fine exercetur actus conjugalis, si conjuges matrimonio utantur ad finem generandi & educandi prolem ad Dei honorem & gloriam, ad vitandam incontinentiam in comparte; aut ad satisfaciendum obligationi matrimoniali, imprimis actus conjugalis licitus & meritorius est ex fine procreandi & educandi prolem ad Dei honorem: quia generatio prolis est finis principalis matrimonii; quamvis igitur actus con-

jugat-

jugalis in hoc statu naturæ corruptæ ob inordinatos motus concupiscentiæ aliquam deordinationem importet, illa tamen deordinatio removetur per bona matrimonii, quæ sunt proles, ideo semper licet & sancte impenditur actus matrimonialis ad hunc finem, quam rectam matrimonii intentionem ab Angelo edocet exprimit Tobias junior Tob. 8. dicens: *Et nunc Domine seis quia non luxuriae causâ accipio sororem meam conjugem sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.* Deinde ob secundum finem licitus est actus matrimonialis ad vitandam in comparte incontinentiam: quia hic est finis secundarius matrimonii, & respectu compartis debitus ex charitate: matrimonium enim post lapsum hominis à Deo ordinatum est in remedium concupiscentiæ ut indicat Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Ob fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & iterum: revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas ob incontinentiam vestram.*

Dixi: Ad vitandam incontinentiam in comparte: quamvis enim multi actum conjugalem ab omni culpâ excusat, si exerceatur à conjugi ex hac solâ intentione ad vitandam incontinentiam in se ipso, verior tamen videtur doctrina Thomistica in 4. sent. dist. 31. Q. 2. a. 2. ad 2. ubi S. D. ita discurrit: *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjugi: non est aliquid peccatum: quia hoc est quædam redditio, quod ad bonum fidei pertinet, sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas & secundum hoc est peccatum veniale, nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, que est de peccatis venialibus, ex quibus colligitur differentia inter actum matrimoniale exercitum ad vitandam incontinentiam in seipso & ad vitandam incontinentiam in comparte, conjux enim*

in seipso vitare potest incontinentiam alijs modis congruentioribus : quia per jejunia , orationem aliaque pia opera potest quis vitare fornicationem , & donum continentiae à Deo impetrare , ideoque ad hunc finem exercere actum conjugalem est superfluum & secundum Apostolum in hoc statu corrupto secundum indulgientiam permisum , conjugis autem alterius intemperantiae , cui ex fide matrimoniali obviare tenetur , conjux aliter mederi non potest , quam actu conjugali : cum aliena voluntas non sit in nostrâ potestate.

Denique licitus est actus conjugalis ad satisfacendum coniugi petenti debitū ; quia satisfacere debito postulato obligatur coniux ex justitiâ & bono fidei matrimonialis ut patet ex Apostolo superius citato ; ergo actus matrimonialis ad petitionem alterius exercitus in finem satisfaciendi obligationi matrimoniali est actus justitiae , ad alios autem quoscunque fines uti matrimonio est communiter veniale , quandoque autem mortale : quia seclusâ intentione generandi prolem vel evitandi incontinentiam vel reddendi debitum uti conjugio solius sanitatis causa est veniale juxta S. Th. in 4. dist. 31. Q. 2. a. 2. ad 4. ubi hanc dat rationem : *Quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum , tamen hac intentio efficitur mala , si ex aliquo sanitatis intendatur , quod non est ad hoc de se ordinatum , sicut qui ex Sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quereret & similiter est in proposito de actu matrimoniali ; Item exercere actum conjugalem voluptatis gratia peccatum est ad minus veniale , uti modo est certum post damnatam propositionem ab Innocent. XI. in ordine 9nam : Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ & defectu veniali . Ratio est : quia invertitur ordo à natura intentus : voluptas enim est indita actui conjugali ad reddendum promptiorem actum non vero ipse actus est ad voluptatem ordinatus ,*

ergo contra ordinem naturæ pugnat operationem ad delectationem referre, cum delectatio amplectenda esset ob operationem. *Dixi:* Ad minus veniale: quia quandoque contingit in eo peccari mortaliter, quando in eâ voluptate ultimum finem constituunt seu ob illam voluptatem conjuges legem Dei transgredi sunt parati, quo sensu Raphael dixit Tobiae Juniori Tob. 6. v. 17. *Hi, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & sua libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.*

3. Debito modo & circumstantiis actus conjugalis exercetur, quando debito loco, tempore, congruo modo intra limites honestatis naturalis opus conjugale exercetur. Imprimis locum secretum esse oportere, ipsa naturalis verecundia dictat, & ne in loco sacro fiat, lex Ecclesiæ prohibet sub peccato mortali extra casum urgentis necessitatis. Deinde convenientissimum est ex antiquissimâ Ecclesiæ consuetudine illâ die quâ recepta vel recipienda est Sanctissima Eucharistia, abstinere à debito conjugali petendo, quam quidem consuetudinem vii legis obtinuisse, ut saltem sub veniali obliget, & venialiter peccent conjuges eodem die, quo opus conjugale exercuerunt, ad mensam Domini accedentes, docent multi graves Doctores S. Th. in 4. sent. dist. 32. Q. 1. a. 5. Quæstiun. 1. ita discurrit: *Actus matrimonialis, quamvis culpâ careat, tamen qua rationem deprimit proper carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia, & ideo in diebus, in quibus præcipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum;* Deinde intra terminos naturalis honestatis conjuges manere debent ita ut peccent mortaliter, si limites naturalis honestatis notabiliter excedant; tunc autem fit excessus notabilis, quando usus naturalis mutatur in eum usum, quo secundum natu-

naturam homo concipi non potest; His circumstantiis concurrentibus tenetur conjux sub peccato mortali reddere debitum conjugi id serio justè & rationabiliter exigenti: quia ex ipso legitimo contractu matrimonii, quo sit utrumque mutua traditio & acceptatio corporum ad eum usum, essentialiter oritur obligatio reddendi Corpus ad eum usum justè & rationabiliter pententi.

DICO 2. *In promissione matrimonii continetur, ut neuter ad alium thorum accedat.* S. Th. in suppl. Q. 49. a. 2 ad 3.

Probatur: Qui sibi mutuò tradiderunt corpora ad usum matrimonialem, quo finis matrimonii de se obtineri potest, obligantur abstinere ab omni actu tali traditioni contratio; atqui accessus ad alium thorum est actus huic traditioni contrarius, ut per se patet, ergo quia vi contractū matrimonialis sunt obligati conjuges servare intemeratam fidem thori, ab omni eo debent abstinere, quod talem fidem violat, diciturque omne quod tali fidei contrariatur, adulterium, quod quadruplicē est: mentale, formale, reale & materiale. Licet in sensu proprio & simpliciter solum adulterium reale dicatur adulterium: quia tamen omnia obligationi conjugali opponuntur vel cum verā culpā aut etiam sine culpā, vocantur adulteria; & primò quidem adulterium mentale est, quando conjux solo actu interno violat fidem thori per consensum, desiderium imò solam morosam delectationem de actu turpi cum alienā, etiam absque animo talem actum exercendi, adeò ut talis conjux obligetur in confessione explicare se esse conjugatum. Ratio desumitur ex dictis: quia fides matrimonialis obligat non solum Corpus sed etiam mentem ad aliud objectum turpe non affigere, ideoque talis per morosam delectationem peccat non tantum peccato luxuriæ, sed etiam adulterii mentalis,

secundò adulterium formale dicimus illam incontinen-
tiam, quâ conjuges invicem peccant contra naturâm,
aut sodomiâ aut mollitie, ut dum sese mutuò vel etiam
seorsim polluunt. Hujus malitia inde patet: quia per
matrimonium non est indulta conjugibus alia potestas
in corpora, quam ad actum matrimonialem de se ap-
tum ad generandam prolem; si igitur aliter utantur ma-
trimonio, peccant contra fidem matrimonii, & sunt
obligati in confessione explicare se esse conjugatos; imo
specialiter exprimere debent, an mollities v. g. sit
exercita cum propriâ vel alienâ conjugे vel cum solutâ,
alias nunquam explicabunt speciem sui peccati. Tertiò
appellatur illud adulterium reale, quo cognoscitur per-
sona obligata matrimonio, quod peccatum grave est,
quando persona soluta peccat cum personâ obligatâ
matrimonio: quia præter fornicationem cooperando
ad adulterium peccat contra jus tertii nempe contra
conjugem sui complicis adulterantis; gravius pecca-
tum est adulterium, quando persona obligata matri-
monio peccat cum personâ solutâ: quia peccat contra
fidem datam in contractu matrimonii, quo Corpus
suum soli conjugi promisit & tradidit, peccat etiam
contra jus, quod vir acquisivit in Corpus v. g. Uxor;
gravissimum denique peccatum est adulterium, quando
persona obligata matrimonio peccat cum personâ etiam
obligatâ matrimonio. Quod indè constat: quia
præter fornicationem & fidem violatam duplex com-
mittitur injustitia, & in propriam conjugem & in
conjugem complicis adulterantis, quæ duæ injuriæ
etsi sint ejusdem speciei, sunt tamen distinctæ numero,
ideoque in confessione necessariò explicandæ; Accedit
quod damna gravissima & plerumque incompen-
sabiliæ ex adulterio cum conjugatâ proveniant: ut quod
proles ex tali adulterio nata in alienam curam alimenta
& hæreditatem transferat, quapropter in confessione

adul-

adulteri sunt examinandi : Imprimis an proles inde nata sit & adhuc vivat. Deinde an ex communi re familiari & sumptibus innocentis conjugis alatur. Denique an inter liberos & hæredes legitimos sit habitura portionem hæreditatis paternæ : quia hæc adulterio commisso novam & omnino distinctam speciem injustitiae & injuriæ in conjugem innocentem & hæredes legitimos superaddunt, & inducunt gravissimam obligationem restitutionis. Quartum vocatur adulterium materiale : quia formalis ratio adulterii eidem deest, quando videlicet re ipsa cognoscitur aliena, quæ tamen talis esse invincibiliter ignoratur, & hoc adulterium quoad malitiam non differt à simplici fornicatione.

Q. 1. Quænam ulterior ex matrimonio est coniugum ad invicem obligatio ?

R. Conjuges ex quarto præcepto decalogi & virtute pietatis graviter obligantur sibi invicem exhibere amorem & honorem, vitæ Societatem, alimenta & gubernationem. De amore & honore inquit Apost. Ephes. 5. v. 25. *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam*, & v. 28. ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua, qui suam uxorem diligit, seipsum diligit ad Coloss. 3 v. 19. *Viri diligite uxores vestras & nolite amari esse ad illas.* Unde & peccant mortaliter conjuges gravibus odiis, contemptibus, injuriis & imprecationibus sese invicem afficientes hoc spectat peccatum Zelotypiæ inordinatae (sive vitiosi affectus excessus, quo quis refugit in amore quo amat, aut amatur, habere socium) seu temerariæ luspcionis de fide alterius conjugis, item vir graviter peccat notabiliter excedens modera- men in corripiendâ uxore & à fortiori uxori virum graviter inhonorans ; ridens aut, quod turpius est, percutiens. Vi mutuæ Societatis tenentur simul habitare

& mutua vitae solatia sibi impendere , unde peccat mortaliter conjux absque urgentissimâ causâ conjugem deferendo aut omnino aut ad notabile tempus citra alterius consensum; obligantur quoque ad ministranda alimenta & necessaria vitae ac status ; quæ quidem obligatio per se & principaliter incumbit viro juxta id Apostoli Ephes. 5. *Qui suam uxorem diligit , seipsum diligit , nemo enim unquam carnem suam odio habuit , sed nutrit & fovet eam ; nihilominus etiam concernit uxorem , ut suum etiam præstet , maximè viro impotente , infirmo , captivo &c. ut sic conjuges sub mortali teneantur sibi invicem curare alimenta & mutua onera ferre.* Denique obligatur specialiter maritus uxori ad gubernationem debitam in iis , quæ spectant ad observantiam mandatorum Dei , bonos mores & administrationem familiæ & rei domesticæ ; in quibus econtra uxor tenetur marito præstare obedientiam proportionatam , adeo , ut sicut peccat maritus mortaliter , permittendo , ut uxor legem Dei transgrediatur , vel impediendo eandem in servandis præceptis Dei & Ecclesiæ aliisque ad salutem necessariis , ita uxor peccat mortaliter notabiliter non obediendo marito in iis , quæ ad ejus gubernationem spectant.

Q. 2. Qualem ex matrimonio suscepérint parentes obligationem erga liberos ?

R. Jure divino & naturali obligantur parentes Filii exhibere amorem & educationem duplicem corporalem & spiritualem.

Primò obligantur ad amorem , de quo non est datum speciale præceptum parentibus , sicut datum est Filii quartum præceptum decalogi: quia juxta commune proloquium : amor descendit non ascendit , parentes enim Filios suos tanquam aliquid sui naturali impulso diligunt , & tanto affectu , ut sæpè excedant , ideoque non fuit opus expresso præcepto , quemadmodum

modum ob eandem rationem etiam non fuit datum speciale præceptum homini de diligendo seipso.

Secundò obligantur ad educationem corporalem: quia omnia animalia etiam bruta fœtus suos diligunt & educant, quarè debent parentes proximè ab ipsâ conceptione sedulam curam gerere, ne quidquam agant, quod prolis vitæ sanitati & naturali perfectioni obesse possit ante & post nativitatem præsertim usque ad triennium. Debent præterea procurare prolibus alimenta & omnia ad vitam humanam necessaria, quoad usque proles ad robustam ætatem pervenerint, ut seipſas arte opificio vel servitio alere possint pro ratione sui statū. Denique debent providere Filiis de statu nempe curando, ut Filii addiscant honestam artem vel disciplinam statui eorum & complexioni competentem item honestis & licitis secundum statū sui conditionem modis bona fortunæ acquirendo Filiis, ut post mortem parentum etiam honestè secundum statum suum vivere possint, in quo dupliciter ferè peccant parentes aut per defectum dissipando bona temporalia, per quod Filiis sunt causa paupertatis & multorum indè consequentium malorum, aut per excessum nimiâ cupiditate bonorum temporalium per fas & nefas pro Filiis congregandorum, quæ ipsis Filiis postea sunt in laqueum & scandalum.

Tertiò obligantur ad educationem spiritualem: quia homini rationis compoti ad finem supernaturalem creato dupliciter debetur educatio, una corporalis ad esse naturæ, altera spiritualis ad esse gratiæ in ordine ad ultimum suum finem scilicet Deum, quæ educatio spiritualis in tribus potissimum consistit, in doctrinâ, exemplo, & correptione juxta id Eccles. 7. v. 25. *Fili tibi sunt, erudi illos & cura illos à pueritiâ illorum.* Imprimis quantum ad doctrinam debent parentes instruere vel providere, ut instruantur proles in

omnibus necessariis ad salutem; deinde in honestate morum & virtutum & iis quae in humana Societate & consuetudine necessaria sunt juxta morem patriae & conditionem statu. Quantum vero ad exemplum, debent parentes Filii exemplo bonorum morum & operum praetere, & cavere, ne malo exemplo eis dent causam vel occasionem peccari: Demum quantum ad correctionem debent parentes corriger & emendare peccata Filiorum juxta illud Proverb. 13. v. 24. *Qui parcit virga, odit Filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit & Proverb. 23. v. 13. Noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris illum virgâ, non morietur, v. 14. tu virgâ percuties eam, & animam ejus de inferno liberabis.* Discreta ratiō & prudens debet esse correctio, ut nec nimia severitate prolem in desperationem adducat, nec nimia indulgentia vitiis Filiorum occasionem prebeat juxta monitum Apost. Ephes. 6. v. 4. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare Filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini ad Coloss. 3. v. 21. Patres nolite ad indignationem provocare Filios vestros, ut non pusillo animo fiant.*

DISPUTATIO XLVI.

De Matrimonio in quantum est Sacramentum.

Sicut Christus elevavit actus virtutis penitentiae, ut non tantum sint penitentis actus habentes effectum, ad quem ex propriâ sua ratione sunt apti, sed etiam sint partes Sacramenti ex opere operato causantes gratiam, ita contractum civilem matrimonii in novâ legi Christus elevavit ad esse Sacramentale, licet verò statim post peccatum fuerit matrimonium sive matrimonii usus de se remedium concupiscentiae, in quantum licto modo intrâ matrimonium satisfiebat concupiscentiae, quae alias nimis arcta in quilibet in honesta facile